

FORTUNANTE TRINUNO!
TERRÆ MOTUM
TEMPORE PASSIONIS
CHRISTI

18

OBSERVATUM;

In Illustri Salanâ

PRÆSIDE

DN. JO. ANDREA Schmidt /

Logices & Metaphysices P.P. Ordinario,

considerabit

AUTOR-RECONDENS

CHRISTOPHORUS Weise

Weissenfelsensis.

Ad d. 10. Novembr. 1683.

JENÆ,
Literis Bauhoferianis.



FORNANTE TRINNOI

TERRE MOTUM

TEMPORE PASSIONIS

CHRISTI

CONSERVATUM.

In Illustri Salva

PRAXIS

DN IO. ANDREA SCHMIDT

Logics & Metaphysic P. P. Ordinaris

in

Autor Rector

CHRISTOPHORUS

Weissenfels


Ad d. 10. Novemb. 1683

J. E. M. A.

Richardus



PRÆFATIO
RATIONEM INSTITUTI BREVITER
OSTENDENS.



erræ motum passionem & mortem mel-
litissimi nostri Salvatoris subsecutum, sa-
cris & profanis literis famosum, cathedræ
Physicæ sistere iobuit. Equidem hunc
alias causis suis naturalibus dirigi, multa
insolentia producere, quis nescit? Hinc
optime Seneca scribit: *Mille miracula movet, faciemque mu-
tat locis, & defert montes, subrigit plana, valles exuberat, novas
in profundo Insulas erigit. Hæc ex quibus causis accidant, digna
res est excuti.* Cum vero & iste præter hæc Θεῶν π ostend-
derit, merito eundem præ reliquis terræ motuum exem-
plis quatenus ad forum Physicum pertinet, sub incudem
revocare dignum duximus. Tribus autem sectionibus
omnem rem comprehendimus, quarum prima certitudi-
nem facti depromit ex codice Sacro ut & Scriptoribus fi-
de dignissimis. Secunda paucis exponit doctrinam de ter-
ræ motu in communi secundum varias causas variosque
effectus. Quoniam vero tot ferè sententiæ, quot capita
hac de re inveniuntur, plurimas, præcipuas tamen tam
veterum quàm recentiorum Philosophorum opiniones re-
censēbimus, veramque sententiam addemus ac defende-
mus. Hæc autem omnia in tertia Sectione sigillatim ad
præsens applicare conabimur. Deficientibus vero illis,
quibus hæc applicari possint ostendemus tandem in hoc
facto nihil naturalis adfuisse. His itaque præmissis sit

SECTIO I.
Enarrans factum ex Historia Sacra
& Profana.

§. I.

Vehementissimum terræ motum & cum hoc
conjunctam petrarum fractionem inter alia miranda at-
que insolita tempore Passionis & mortis mellitissimi no-
stri Salvatoris in rerum natura accidisse, & ex infallibi-
libus Scriptoribus Sacris & aliorum probatissimorum Historicorum
monumentis cuius facile innotescit.

§. 2. Et quidem inter Amanuenses Spiritu Sancto illuminatos
fidelissimus Servatoris nostri discipulus Mattheus ita scribit Histo-
riæ suæ Evangelicæ cap. 27. 51. & 52. καὶ ἡ γῆ ἐσειώθη, καὶ αἱ πέ-
τραι ἐχρίσθησαν. καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεώχθησαν. καὶ πολλὰ σώματα τῶν
κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη. Quæ verba Erasmus ita reddidit. Et
terra mota est, & Petræ scissæ sunt. Et monumenta aperta sunt: &
multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

§. 3. Ex profanis Scriptoribus egregium de his præbet testimo-
nium Historiæ antiquæ fidelissimus conservator Eusebius Chronico
Canone in Historia Tiberii p. 202. his verbis: Ὁ Ἰησοῦς ὁ χριστός
ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ κύριος ἡμῶν. καὶ τοῖς ὡς αὐτῆς προφητείας
ὅτι τὸ πάθος προῆι ἔτις τῆς πτερείας βασιλείας, κατ' ἐν-
καίρον καὶ εἰς ἄλλας μὲν Ἑλληνικοῖς ἑπομνήμασι. εὐρυμῶν ὑπορῆ-
μα καὶ λέξι τὰυτα: ὁ ὕλιος ἐξέλιπεν, Βιθύνεια ἐσειώθη, Νικαίας
τὰ πολλὰ ἔπεσεν ἅ καὶ συνάγει τοῖς ὡς τὸ πάθος τῶ σωτῆρος
ὑμῶν συμβεβοίκοσι. Γράφει δὲ καὶ λέγει ὁ τοῖς ὀλυμπιάδας - - ὡς
τῶν αὐτῶν εἰς τῶν ἰγ. ῥήμασι αὐτοῖς, τάδε: τῶ δ' ἔτει τῆς σβ.
ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἐκλείψις ἡλίου μεγίστη τῶν γνωρισμένων προ-
τερον. καὶ νύξ ὥρα τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρων εἰς ἔραν ὡ
φαῖσασα σεισμός τε μέγας. καὶ Βιθύνιαν, γινόμενος τὰ πολ-
λὰ Νικαίας κατεσρέφατο. Καὶ τὰυτα ὁ δηλωθεὶς ἀνήγ:
Juxta versionem D. Hieronymi ita sonant: Jesus Christus secundum
Pro-

Prophetias, quæ de eo fuerunt prolata, ad passionem venit anno Tiberii 18. quo tempore etiam in aliis Ethnicorum Commentariis hæc ad verbum scripta reperimus: Solis facta defectio: Bithynia terræ motu concussa, & in urbe Nicæa ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia his congruunt, quæ passione Domini acciderant. Scribit vero super his & Phlegon, qui Olympiadum egregius supputator est, in tertio decimo Libro ita dicens: Quarto autem anno CCII. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta: dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cælo visæ sint, terræque motus in Bythynia Nicææ urbis multas ædes subverteret, ad quod testimonium etiam provocat *Daniel Huetius Demonstr. Evang. prop. 3. §. 8. p. 42.*

§. 4. *Origenes* autem L. 2. contra *Celsum* ita scribit: De Sole autem Tiberii Cæsaris tempore obscurato, quo Imperante *Iesus* creditur cruci fuisse affixus, & de magnis terræ motibus tunc factis scripsit *Phlegon* in 13. L. 14. ut arbitror de temporibus Libro. Utinam autem isti *Phlegontis* libri omnes nobis essent superstites, quia *Olympiadum* accuratissimus supputator fuit, & multa historiæ antiquæ monumenta nobis aperirentur. Nihilominus *Ger. Joan. Vossius* *Harm. Evang. Lib. II. c. 10.* ut *Ecclipsin* illam, sic & terræ motum alium esse vult ab eo, quem *Evangelistæ* referunt, ex hoc fundamento valde lubrico: quod *Phlegon* narret, terræ motum in Bithynia fuisse, & filere de terræ motu in *Palæstina*. Sed respondet *Huetius* l. c. p. 45. sequentem in modum: nempe singulas regiones motu hoc concussas percensere non instituerat, sed eam notare satis habuit, quam vehementer afflictam, ac præ multis percussam esse sciverat.

§. 5. Ita & *Nicephorus* *Histor. Eccl. Lib. I. c. 17.* scribit: Civitates alias 14. in minore Asia tum temporis concussas esse, nempe: *Ephesum*, *Magnesium*, *Sardin*, *Mosthenas*, *Hiero-Cæsaream*, *Philadelphiam*, *Molum*, *Timum*, *Myrinam*, *Cymen*, *Apolloniam*, *Hyriam*, *Diam* &c. *Cybaram*. Vid. *Sim. Majolus* *Dierum Canicul. Tom. I. Colloq. 1. p. 23.* Imo & prædicti *Scriptores* putant, hunc motum fuisse illum ipsum, qui *memoria mortalium maximus* vocatur, referente *Tacito* L. 2. & *Plinio* *Histor. Nat. L. 2. c. 84.*

§. 6. Verum de hoc non bene conveniunt inter se *Authores*; cum *Eusebius* Anno Imperii Tiberii 5. hunc motum accidisse eoque 13.

urbes concussas esse asserat, Chron. can. in vita Tiberii. Plinius vero & Tac. ll. cc. saltim 12. addantque, fuisse *motum nocturnum*. Author Libri de Mirabilibus Scripturæ scribit, ea concussione etiam oppida aliquot Thraciæ fuisse everfa. Alii autem contendunt, eum incidisse in annum Christi 19. Tiberii 3. De qua ultima sententia legatur Luc. Osiander in Epit. Hist. Eccl. cent. 1. Lib. 1. c. 6.

§. 7. Interim quia hæc partim incerta partim contradictionibus sint plena, alterum illum ex Plinio & aliis citatum terræ motum non adeo curabimus, sive idem cum illo, de quo nobis res est, fuerit, sive minus. Possemus tamen facile ostendere, hunc cum illo minime eundem fuisse. Maximum enim & omni exceptione majorem testem habemus Evangelistam Lucam, in Historiæ suæ Sacræ c. 3. v. 1. & seqq. ita scribentem: Anno autem decimo quinto Imperii Tiberii Cæsaris &c. factum, ut *Jesu Baptizato* & orante aperiretur cœlum. Si ergo Eusebio fides est habenda, anno Tiberii 18. Christum fuisse passum, manifesto relinquetur ridiculum & absurdum annum 15. cum 18. confundere.

§. 8. De sola itaque illa concussione terræ, quæ tempore passionis dulcissimi Servatoris infallibili Theandri & satis probabili Patrum suffragiis accidisse sat confirmata est, nostrum erit ex instituto agere, & inquirere, utrum causas naturales agnoverit, nec ne. Hoc vero uti in Præfatione monuimus, commode fieri non poterit, nisi prius doctrinam de terræ motu in communi juxta varias causas naturales & varios effectus breviter præmittamus. Sit itaque

SECTIO II.

Quæ sistit

Totam tractationem de Terræ motu secundum causas suas naturales variosque effectus juxta varias Authorum sententias breviter comprehensam.

§. 1.

Terræ motum vero consideramus non ex Opinione Pythagorica & Copernicana, qua terra quotidie circa centrum & quotannis
circa

circa Solem revolvi dicitur; neque istum motum, quo perpetuo titubare statuitur; sed istum motum, qui fit accedente aliqua causa naturali terram vehementer pulsante; uti febricans concutitur. Quamvis vero *Helmontius* Terræ Tremore no. i. valde contendat, quod Terræ motus non *motus*, sed *tremor* dicendus sit, & quidem ex hac ratione: quia (inquit) vocabulum *motus* adeo generale est, & omnia fere corpora naturaliter moventur, terra videlicet vel aliud corpus grave dum deorsum properat, dicitur seipsum movere; aqua fluens rotam movet active: In terræ vero tremore videri putat motum esse passivum, adeoque per accidens, sibi improprium. Præterea quoniam motus proprius Globo terraqueo ex Decreto Ecclesiæ denegatur, ideoque vocabulum *motus* se removisse atque immutasse, ut rectius terra pavida tremere, quam moveri dicatur. Sed hactenus nullam adhuc videmus rationem cur locutionem illam, quæ Spiritui Sancto, & per tot lustrorum spatia foro Philosophico placuit, deseramus. Utique enim necessum erat generale vocabulum assumere, quod sub se species comprehenderet. Peccat igitur in eo *Helmontius*, dum vocabulum speciei quale est tremor, ceu infra patet, generi imponit. Præterea plurimis olim persuasum fuit, terram vel plane non moveri, vel saltim non habere motum sensibilem, qui ab omnibus percipi posset; quapropter agitationem illam vel concussionem extraordinariam appellarunt motum quieti oppositum. Et tandem nil novi monuit *Helmontius*, cum referente *Plut.* in plac. *Phil. L. III. c. 15.* tale quid circa terræ motum desideraverint *Metrodorus*, *Democritus* & *Plato*.

§. 2. Verum ut ad rem ipsam veniamus, ante omnia inquirenda nobis erit (Nam terræ motum dari jam supponimus, cum Historici passim, & tristis proh dolor! experientia singulis ferme annis de eo nos certos reddant) causa terræ motus efficiens: In qua investiganda tam veteribus quam Modernis multæ & diversissimæ exorsæ sunt sententiæ. Quas tamen breviter, & quoad instituti ratio requirit, enarrasse juvabit. Non nunc memorabo opinionem *Babyloniorum*, qui circa terræ motus causam, ut narrat *Plin. L. II. c. 67.* recurrebant ad sidera; nec *Pontificum Rom.* qui referebant ad Deum *Deamye*, illique propterea innominato sacrificabant, quoniam, inquit *Varro* apud *AGell.* & qua vi & per quem Deorum Deorum

rumve terra tremere, incertum esset. Antiquissimorum Græcorum Philosophi efficientem terræ motus dicebant esse motum illum à fluctibus aquarum in cavernis subterraneis undantium exagitatum. Quo respexisse videntur, dum Neptunum *ἰσοίγαιον καὶ σεισχοφόρον* terra quassatorem & motorem appellarunt. Agellius lib. 2. cap. 28. Atque his nitebantur, quod in terræ motibus sæpe novi conspicerentur fontes & abyssi G. J. Voss. de O. & P. Idololatr. lib. 2. cap. 77. p. 352. Aliiter sensit Thales Milesius persuasum habens, globum terræ subinde supernatare aquis instar navigii, & quoties aqua eam fortassis in la- tus inclinet, toties vehementer moveri. Sen. quæst. naturat. lib. 6. c. 6. Democritus autem statuit, terram plenam aqua existentem & susci- pientem multam aliam pluviam ab hac moveri. Amplior enim cum fit, quia non possunt suscipere cavitates, vim inferentem, face- re terræ motum, & cum exsiccat & transit in vacua loca ex re- pletioribus transiens invadendo movere. Plutarch. de plac. phil. 3. c. 15.

§. 3. Ignibus causam terræ motus adsignat Anaxagoras con- junctis tamen cum aere, cujus Spiritus crassi in interioribus terræ in- nubes redigantur, quæ eadem, qua interdum apud nos, vi frangi soleant, ex qua ruptura & collisione nubium ignis edidatur. Qui in obviis exitum quærens tandem per angusta nanciscatur viam exeun- di, aut etiam vi sibi acquirat. Sen. l. c. c. 9. Licet P. Gassendus Phys. Sect. III. l. c. 6. p. 46. ex Aristot. Meteor. II. c. 7. & Origenis Libro de universis sectis; aliam fuisse illius sententiam moneat; terram nimi- rum totam suapte natura fungosam, ac superiore solum parte com- pactiore ob pluvias facta; inferiorem cavitatibus interstructam su- stentam ab aere: Æthera vero eo incidentem, quod levis sit, sur- sum eniti, terramque ab imo totam commovere. Conf. qq. de his at- que seqq. veterum sententiis Hannib. Rosel. Comm. in Pymandr. Tom. V. Comment. 12. Dial. 5. Quæst. 5. cap. 1. p. 211. seqq. Alii aliter statue- runt, videlicet ignem, pluribus obrutum locis, ardere & proxima quæque consumere. Quæ exesa atque collapsa sequatur & motus illarum partium, quæ necessariis destitutæ adminiculis labi & corruere necesse habeant, sicut & sequitur incendium in civitate aliqua factum. Iisdem ignibus alii tremorem adscribentes dicunt ferven- tes in pluribus locis multum humorem sine exitu volvere, qui vi
sua

sua acrius insistendo obvia diffundat, remissior vero etiamnum ea moveat, sicut aqua spumat igne substrato. Sen. l. c. cap. ii.

§. 4. Neque vero desunt, qui spiritum terræ motorem statuant. Ventis, inquit, *Archelaus*, in concava terræ delatis, omnibusque spatiis repletis, superveniens spiritus priorem premit ac perturbat. Hic quærens exitum omnes angustias dimovet, claustraque sua conatur effringere. Unde spiritu luctante exitumque quærente fiant terræ motus. De his & aliis opinionibus vid. *Aristot. Meteor. Lib. III. cap. 7.* *Conimbricenses* in eund. locum. item *Senecam Natural. Quæst. Lib. VII. à cap. 12. usque ad 15. Agell. lib. 2. cap. 28.*

§. 5. *Anaximenes* vero dixit, ipsam terram esse causam sui motus, dum intra se exesa & labefactata præceps volvatur, inque voraginum profunditatem decidat. Quod placitum *Conimbricenses* uberius deducunt ex *Senec. l. c. cap. 10.* Eandem sententiam fovebant illi, qui imaginabantur, terram concuti & pavere, cum toti montes & specus subterranei aliquando decidant, prout cecinit *Lucretius Lib. VI. Poemat.*

Terra superna tremit magnis concussa ruinis
Subter, ubi ingentes speluncas subruit ætas.
Quippe cadunt toti montes magnoque repente
Concussu late discerpunt inde tremores.
Et merito quoniam plaustris concussa tremiscunt
Tecta, viam propter, non magno pondere, tota.

§. 6. Alii ex Veteribus causam terræ motus capere non valentes immania & horrenda effinxere monstra, quorum barritu sola terra disrumperetur. Unde *Ælianus de Samiis sequentia narrat: Euphorion in commentariis refert, temporibus antiquissimis in Samo, cum ea incolis esset vacua, fuisse feras maxima molis, truces & obviis terribiles, quorum sola voce terra discederet. Lib. XVII. de animal. c. 28.*

§. 7. Hæc partim fabulis, partim infirmis nixa principiis ideo recensere volumus, ut eo facilius patefcat, quam intricatum & captu difficile priscis mortalibus fuerit invenire causam terræ motus effectricem. Unde non mirandum venit, quod antiquiores *Romani* eandem quondam ignoraverint. Hi enim, ubi terram movisse senserant, & ferias supplicationesque edicto imperabant, nomen Dei, uti solet, cui ferie servandæ, non exprimebant, ne alium pro alio nominando falsa
B
reli-

religione populum alligarent, scribit *AGellius* Lib. II. Noct, Att. c. 28. Quorsum & intendere videtur *Seneca* Natur. Quest. L. V. c. 5. in-
quiens: *Magni animi res fuit rerum natura latebras dimovere, nec con-
tentum exteriori ejus conspectu introspicere & in Deorum secreta &c.*

§. 8. *Bodinus* tandem in Theatro naturæ omnibus universim molestiis breviter defuncturus mentem suam adjicit, atque ut *Ari-
stoteli* more suo detrahat, recurrit ad dæmones *ἐννοσιγῶντες*; ratio
autem ejus est unica: Quia nulla alia causa est probabilis. Cum
hoc fere idem facit *Helmontius*, qui universam doctrinam de terræ
motibus à Scholis Philosophorum hætenus traditam absurdam simul
& inanem æstimat, dum causam terræ motus effectricem naturalem
dari posse perfracte negat. Scribit vero Tract. *Terræ Tremor*, no. 30.
ita: *Credo igitur, terram tremere & pavere, quoties Angelus Domini illam fe-
rit. Ecce terræ motus magnus factus est, Angelus enim Domini descendit de cæ-
lo &c.* Sicut autem hic Philosophus universam Philosophiam partim
inutilem pronunciavit, partim novis atque prorsus inauditis terminis
non utilitatis, sed ostentationis gratia commutavit; Scholarum vero
doctrinas per tot secula usu receptas pernegavit: ita & in hac ma-
teria pertractanda idem facere non cessavit. Quomodo vero sen-
tentiam suam probet, paulo infra videbimus.

§. 9. Singularum autem opinionum inconvenientiam erro-
resque brevibus explicemus. Prima itaque Antiquissimorum Græ-
corum sententia huc quadrare non potest, cum in aperto sit, aquas
intra terram confluentes tam validas non esse, ut fluctuatione sua
integras civitates concutiant, montes evertant, novosque in plano
erigant, imo ingentes pluvias semper terræ motus concomitari neces-
se esset, quod tamen hucusque nullus observavit. Hinc simul re-
futatur *Thaletis* vana persuasio, cum gravius nunquam supernatet
leviori; sicut & navis in aqua, dum movetur, tota movetur, ita etiam
totus orbis terræ uno ictu moveretur. Quæ sententia fabulam ma-
gis aut Poësin, quam Philosophiam olet, uti bene monuerunt *Co-
nimbricenses* c. l. Hæc & *Democrito* responsa sunt.

§. 10. An vero intra terræ cameras ex crassioribus aëris spi-
ritibus nubes generentur ex quarum fractione ignis elisus terram
quassare possit, vix ac ne vix quidem credere possumus. Idem di-
cendum de consumptione ignium, quibus terra exesa collabi dicta
est.

est. Neque enim nubes in visceribus terræ ex spiritibus æthereis fieri, cum & locus & finis ibi deficiat; neque ignes subterraneos tantam ruinam causare posse, hætenus ostensum est.

§. 11. Quod vere ex irruptione montium & cavernarum subterraneorum terra moveri non possit, facile constat, si saltim proportio observetur inter fornices istos & inter plagam, quam horrendo tremore nonnunquam commotam legimus. Sæpe namque tota Germania, imo tota fere Europa concussa est, quod fractio fornices nequaquam efficere potuit. Pondere plaustrorum parum monstrabit Lucretius. In oppidis quæ per platea silicibus stratis plaustrum pertransiens facile commovere potest ædificium plateæ vicinum, lapides namque sibi invicem sunt contiguæ, & si vel unus saltim præmatur, concatenatim quasi propellitur impetus ad ædificii fundamentum. Quid autem erit in campis & viis publicis, quæ silice strata non sunt? Nihil. Vid. *Frommond.* Meteorol. Libr. IV. cap. ult. Art. 1. Tandem non est, quod nobis insolita monstra fingamus, cum Samiorum Nejudes nihil aliud sint quam ipsi terræ motus. Neid enim vel נִי Phœnicibus designabat terræ motum, quo sensu & legitur, Esa. 24. 20. vacillando vacillabit terra & וְהַתְנוּרָה & commovebitur ut tugurium &c. Fusius deduxit hæc *Bochardus* Geograph. Sacra pag. 408. & 409. Quamvis & *Helmont.* l. c. concedamus, Angelum Domini de cœlo descendentem feriisse terram, tamen omnes terræ motus ad istam causam restringere, aut à particulari ad universale argumentari, non licebit.

§. 12. Nunc videamus, an causam aliquam probabiliorem Bodino, & quidem naturaliter operantem Helmontio, invenire queamus. Nimirum certo certius est, dari spiritum sive halitum terræ visceribus inclusum. Exitum vero quærens, cum non invenit, sæpius retrogreditur, omnesque angustias sibi occurrentes dirimere an nititur, unde ingens fit tumultus sive motus. Spiritus autem subterraneos terræ motum efficere, probat *Frommond.* l. c. quia (inquit) quoties terra pulsa pertunditur aut debiscit, evolant halitus aliqui sæpe pestilentes, ignis etiam aliquando & cineres. Ergo ille fuit, qui terram rupit, & eam suffodiendo concussit. Porro spiritum istum vehementissimum & validum quid esse probat *Arist.* l. c. vehementissimum igitur est ex necessitate, quod citissime fertur, percutit enim maxime propter velocitatem. Se-

neca l. c. c. 21. vocat id, quo nihil est in rerum natura potentius, nihil
acrius &c.

§. 13. Hisce objicit *Bodinus*: quamvis concedat dari ejusmo-
di spiritum subtertaneum, non tamen tantæ efficacix esse, ut totos
montes & totos interdum urbes concutere valeat. Verum huic ex-
ceptioni statim respondet *Aristoteles* exemplo aeris, item febricitan-
tium & phreneticorum. Videmus enim vento concitato horrendæ
magnitudinis saxa ab uno in alium locum vehi, imo sylvas, domus
& turres altissimas quandoque destrui & collabi. In febricitantibus
quoque mira sæpe observamus, hi enim spiritibus per organa & ner-
vos diffusis adeo commoventur, ut ne funibus quidem à motu isto
coercere valeas. Idem videmus in phreneticis, qui spiritibus intra se
concitatis vincula manibus pedibusque alligata facile diffringunt,
quod extra illum statum facere nunquam potuissent. Similiter ex-
perientia notum est, pulvere pyreo totas quandoque turres & ca-
stella, quin integros montes convelli atque dirimi. Si autem ars
naturæ imitatrix hæc talia efficere potest, quidni natura ipsa ad-
huc plura. Vid. *Arist.* c. 1. Item *Conimbr.* & *Frommond.* ll. cc.

§. 14. Ut autem *Helmontius* vanam suam persuasionem confir-
met, nostram verò sententiam simul destruat, ita procedit: Dicit
nempe l. c. n. 5. terram actualiter certis soleis sive fundis esse distin-
ctam. Primum esse argillosum, arenosum &c. Subter quem secun-
dus est sabulum diversum; subter hunc tertius, mons siliceus, *Kney-
berg* dictus, origo mineralium. Tandem quartus arena vivens,
sabulum bulliens, *quellen* dictus. His suppositis, pergit *Helmont.*
debet locus exhalationum in aliquo dictorum fundorum constitui,
cum in terra non sit locus extra dicta strata. In primo non potest ex-
halatio contineri, utpote qui aeri est propinquior. Non in secundo,
quia ita paludes non trepidassent. Non in Tertio. Neque quarto in-
tra *quellen*, hoc enim continua sua unitate centro universi connexum
facile ejusmodi exhalationem exsufflaret, priusquam tantam molem
simul attolleret. Itaque in præfatis terræ stratis impossibilem esse ex-
halationum suscitationem dicit *num. 9. §. 22.* Imò exhalationum quan-
tatem, ortum, progressum, potestatem, hospitium, celeritatem, ri-
diculum quid esse scribit *num. 8.*

§. 15. Quid verò his suis fundis subsit, considerabimus. Negari
qui-

quidem non potest, in terræ visceribus varios esse situs, variasque eius conditiones. Hinc Hollandiam sæpius tremuisse, quam Italiam, notum est, quæ omnia solo cuiusque regionis debentur. Totum autem terrarum orbem prædictis soleis sive fundis & non aliis esse distinctam, unde probabit *Helmontius*? certè ex singulari quarundam regionum conditione universalem suam stabilire non potest. Nonne in diversis locis argilla luto atque sabulo, quin & lapidibus obtecta terrâ effoditur? Nonne & possent adhuc plura subesse sola? Estne emensus amplum illud spatium à *Kneyberg* usque ad centrum terræ, ut sabulum bulliens ibidem senserit? Ast videntur mera figmenta omni ratione probabili & saniorum Philosophorum consensu penitus destituta. Si enim prædicta sola per totum terræ globum æqualiter extenderentur, omnes plagæ unius ejusdemque indolis essent. Non itaque impossibile est terram intra se dictas exhalationes posse continere. Quid si exhalationes intra *quellen* aut primum solum contineri diceremus? Profectò id non repugnaret. Fatente enim ipso *Helmont.* *Quellen* est sabulum bulliens, quod omninò exhalationes producit; primus verò fundus, non obstante quod aëri proximior, varias ob rationes illas continere potest. Neque celeritas illarum risu est excipienda. Audi *Aristot. c. l. de Spiritu sub terraneo* ita differentem: *vehementissimum est ex necessitate, quod citissime fertur; percutit enim maxime propter velocitatem.* Et paucis interjectis: *Ignis, quando cum spiritu fuerit, fit flamma, & fertur celeriter.* Conf. *Senec. cap. 21.* qui affirmat: *Hunc spiritum esse, qui tanta possit conari, quo nihil est in rerum natura potentius, nihil acrius, sine quo nec illa quidem, quæ vehementissima sunt, valent.*

§. 16. Instat *Helmont. num. 7.* non esse æquam cuiusque loci capacitatem, quâ exhalatio hospitatur, neque æquam cuiusque oneris sarcinam aut resistantiam ponderis. Neque possibilem esse æquam exhalationis illius suscitationem per tam ingens spatium, & Solis cœlique differentiam; Cum ejusmodi exhalatio locorum varietate, motus differentia, magnitudine, activitate, celeritate, suam dimittens efficaciam, necessariò impar, locorum etiam imparitatibus obedire deberet. Tandem subjungit *num. 12.* *His concessis simul & semel alicubi terra, non autem sæpius, velut rigore febrili, trepidasset.*

§. 17. Neque verò nos negamus, cuiusque loci capacitatem, vim spirituum, item onus incumbens, non semper esse æquale. Hæc enim

nim non sunt necessaria, aliàs terra uno motu tota moveretur. Sic Seneca testatur, *Theresiam sua ætatis Insulam in Mari Ægeo à spiritu spectantibus nautis evertam esse.* Hæc & similia ab in æquali locorum habitudine dependere facile est colligere. De suscitatione exhalationum idem erit dicendum, de qua paulò infra.

§. 18. Sed valeant hæc. Redimus nunc iterum ad nostrum institutum, in quò videmus, dictas exhalationes ab ignibus subterraneis quoque augeri asserente *Arist. l. c. c. 8. ὑπάρχει γὰρ ἡ γῆ καθ' αὐτὴν ξηρα, διὰ τε τὰς ὀμβροὺς ἔχουσα ἐν αὐτῇ νοτίδα πολλὴν, ὡς δ' ὑπὸ τοῦ ἡλίου καὶ τῆς ἐν αὐτῇ πυρρῆς θερμαινομένης.* h. e. existit enim terra per se quidem sicca, propter imbres autem habet in seipsa humiditatem multam, ut & à Sole, & ab eo, qui in seipsa, igne incalescens &c. Hinc montes & loca ignivoma tremoribus valdè sunt obnoxia: ut Sicilia, Campania, item loca, in quibus thermæ inveniuntur, quibus Italia satis referta est teste Bodino, item Fallop. *L. de Therm. c. 5.* Non itaque mirum est, si Ferrariam, Campaniam, Bononiam, aut alia Italiae loca spiritu subterraneo concussa esse audimus, præcipue si loca Ferrariæ finitima crateres quosdam ignivomos sub se contineant, quod ex eodem Fallopio Frommondus asserit. Satis proinde perspicuum est, spiritus subterraneos ignibus concitatos quassando exhalare, montes enim vix unquam rupto vertice evomunt ignes, nisi præcesserit terræ motus. Quod observatum fuit in conflagratione Vesuvii sub Tito, item in montibus Americanis & Ætna Siciliae. Vid. quoque ex *Cartesiano Anton. Le Grand Instit. Philos. Part. VI. Art. 19. p. 648. & 649.*

§. 19. Etiam calorem subter quellen, mari, stagnis itidem & fluminibus &c. subesse negat *Helmont. num. 10.* Oportet, inquit, calorem & siccitatem fortes esse & actuales ad ejusmodi insignem effectum, non autem potentiales qualitates, nudas, remotas, impossibiles sive omniarias &c. Si autem ejusmodi ignes terræ non subsunt, unde calorem suum habebit? non à seipso, quia natura satis frigida est; neque ab externo superveniente; Ergò ab alio quodam intra se operante habere necesse est; videmus namque altissimas montium ignivomorum voragine flammam ebullire. Non enim mirandum est, gigni prædictos spiritus sive exhalationes inter terram: cum hæc multis modis calefacta halitum emittit. Calefit primum à Sole, secundo ab ignibus subterraneis.

§. 20.

§. 20. Haecenus quidem per omnia fere, quæ afferuimus, consensit *Honoratus Fabri*, nunc Tom. III. *Physices*, Tract. VI. Propos. XXII. no. 9. dicit: citra ignis subterranei operam aquam etiam posse calefieri; dum percolatur in venis terræ, eo fere modo, quo humores corporis humani incalescunt, factoque illo puriorem humorem fecerni, quo segregato partes ignis necessario colliguntur. Verum id quidem experientia constat, ex mixtione diversorum liquorum, utpote olei tartari & calcanti aliorumque, oriri ebullitionem ac calorem, an vero aqua in venis terræ seipsam calefacere possit, vix credibile est. Quamvis & simile à corporibus nostris desumptum recipiamus, humores tamen à calido innato in iisdem agitari reliquum manet. Eodem modo fit in aquis cameris terræ inclusis, quæ itidem à calore spiritus accedentis necessario calefiunt, quod etiam ipse *Fabri* velle videtur, num. 15. l. c. 2p. 76.

§. 21. Ventus etiam ad terræ motum haud parum facit. Sive enim ab externo summo cum impetu in viscera terræ penetret, sive in iisdem jam conclusus sit, uterque tamen igniculos vellicat, accendit, impetumque concussionis adauget. De quibus *Aristoteles* passim. Et *Plinius* Lib. II. c. 79. *Ventos in causa esse non dubium reor; neque enim unquam intremiscunt terræ, nisi sopito mari, cœloque tranquillo &c.* Non autem intelligenda hæc sunt ex sententia *Callisthenis*, *Archelai* & *Methrodori*, qui terram aliquando spiritu accedente quassari statuebant, sicut nos vento frigido subito perstricti quatinus & inhorrescimus referente *Senec.* l. c. Quod vero terra more animalis non sentiat, tam *Aristoteles* quam *Plinius* & alii passim docuerunt. Tenenda itaque sunt verba Philosophi l. c. *Quosdam autem fieri terræ motus & flatu existente nihil irrationabile. Videmus enim aliquando simul plures flantes ventos, quorum cum in terram fertur alter, erit flatu existente terræ motus.* Vid. *Frommond.* Lib. IV. c. V. Art. V.

§. 22. Denique Sol tanquam causa universalis ad terræ motum etiam quicquam confert, dum vapores resolvit, & ad eundem præparat. De quo *Aristoteles* non uno loco. Negant quidem multi, Solem heic nihil conferre posse, cum illius munus sit potius extollere, quam intra terræ sinus cumulare vapores. *Keckermannus* vero Lib. II. de terræ motu Anno 1601. factò contrarium dicit: radios ☉ares

res altius in ipsas venas metallicas penetrare. Etiam spiritu multo intra terræ viscera producto plurimum motum intendere. *Plinius* l. c. hunc effectum etiam tribuit ☿ & ♃.

Verum utraque pars peccat in excessu: Illi quidem quod Soli virtutem suam detrahant, omnesque ex terra eductas exhalationes in meteora transire statuant. Non enim omnes vapores ad aërem usque perveniunt, sed multi aut non satis leves, aut angustia pororum, impediuntur: vel aqua ventis supervenientibus in abscondita repelluntur. *Keckermannus* vero & *Plinius* adeo magnam virtutem Planetis tribuerunt, quæ ipsis adhuc probanda incumbit. Sed hæc non sunt hujus loci. Vid. *Frommond.* l. c. & per omnia Excellentissimus *Posnerus* noster Dissertat. de singularibus ac mirandis Passionis Christi. Et hæc de causis dicta sunt.

§. 23. Species terræ motuum à variis variæ traduntur, quas omnes huc referre paginae ut & temporis angustia prohibet. Plurimas tamen easque præcipuas recensebimus. Aristoteles tantum duas denominat, pulsam videlicet & tremorem. *Posidonius* totidem: concussionem & Inclinationem, quibus tremorem addere *Seneca* placet. *Agricola* l. c. quatuor enumerat: Tremorem, arietationem, concussionem & Inclinationem. *Fabri* l. c. *Prop.* XXIII. tres species ponit, quarum prima fit ab aqua, secunda ab halitu, tertia à flammâ. *Frommond.* ex Anonymi Libro de Mundo septem species accidentarias terræ motûs narrat, ut sunt: Eplicintes, Brastes, Chasmatias, Rhectes, Ostes, Palmatias & Mycetias, horumque Rhectem sive effractorem omnium perniciosissimum appellat. Divisionem verò trimembrem à *Seneca* datam sufficientem esse ita probat *Frommond.* l. c. quia, inquit, Spiritus intra claustrum fremens vel rectè à sursum se ejaculando fornicem cavernæ pulsât, & succussionem ac pulsam habes: vel latus utrumque alternis & celeriter tundit & retundit, sicque vibratio & tremor erit; vel denique ita unum latus arietat, ut ad alterum usque non resiliat, & Inclinationem habemus. Hæc ille.

§. 24. Accedimus nunc ad subjectum sive loca illa, quæ terræ motibus sunt obnoxia. De his *Aristot.* l. c. dicit: in iis locis fieri validissimos terræ motus, ubi mare fluxibile est, aut regio fungosa & subantrosa; Hinc circa Hellespontum Siciliam, Achajam & Eubæam terra frequenter contremiscit, quia mare meatibus subterraneis ista lo-

ca

ca percolit. Idem asserit *Senec. c. l. cap. 26.* ut & *Plinius L. II. c. 80.* De insulis idem esto iudicium. Non tamen omnes regiones maritimæ & insulæ terræ motibus æqualiter sunt obnoxia, quia non ubique idoneæ sunt cavitates. Hinc Belgium & Hollandiam rarissimè moveri dicit *Frommondus l. c. Art. 3.* eò quòd non habeant saxea & montosa littora, sed humilia, terrena, mollia, & plerumque manu facta. Loca etiam montosa frequentiores quam plana terræ motus pati *Conimbric. scribunt*; quia sub montium gibbo specus manent spirituum domicilia. Vid. *Plin. l. c.* & *Honor. Fabr. d. l. Prop. 26.* Terræ vero admodum calidæ (qualis est *Ægyptus*) item limosæ & arenosæ, raro quassantur, hæ quidem, quia in iisdem halitus nimio æstu statim resolvuntur & evanescunt. Illa, quia in iisdem spiritus facile dissipantur; Ista quia receptaculis spirituum carent. Conf. *Isaac Cardos. Phil. liber. libr. 4. quæst. XII. p. 226.*

§. 25. Magnitudo autem terræ motus à variis varia traditur. Et quidem *Paulus Orosius L. 7. Histor. c. 32.* scribit: sub *Valentiniano* totum terrarum orbem tremuisse. At si *Senecæ* fides habenda, nunquam per 200. milliaria (quæ *Frommondus* in leucas Belgicas redegit) motus posse extendi. *Acosta* tamen testatur *Lib. III. Histor. Ind. c. 36.* In Regno *Peruano* motus frequenter ad 160. leucas excurrere. Anno quoque 369. sub *Valentiniano* & 3601. *Asiam, Germaniam, Hungariam & Italiam* uno fere momento tremuisse legimus. Hinc in tanta motuum diversitate certum ac determinatum spatium assignari non potest, sed semper considerandus est situs loci, multitudo atque vis spirituum, tempus, it. firmitas superstructi &c. Vid. *Frommond. l. c.*

§. 26. Durant & terræ motus non unò eodemque modo. Quædam enim regiones per horam, quædam per aliquot dies, quædam per tot menses tremore agitatae sunt. *Arist.* tamen dicit *l. c. 40.* dies plures durasse. Interim neque hîc quicquam certi asseri potest ob rationem §. præced. allatam. Major namque exhalatio tardius consumitur quam exigua, & pro majori aut minori locorum repugnantia terræ motus quoque nunc extendi nunc minui possunt. Vid. *Honor. Fabr. prop. XXVIII.* Adde *Conimbr. & Frommond, Art. IV.*

§. 27. Dantur etiam certa signa & præfagia, quæ terræ motus sparsim præcessisse perhibentur. Horum præcipua *Aristoteles* censet

C

©is

☉is & ☽ defectionem, item ante matutinos tranquillitatem & frigus forte. *Honor. Fabri* l. c. Propof. 25. ad 4. classes redegit: 1. si aqua puteana turbidior facta odorem sulphureum exhalat. Sic terræ motum Sami futurum haustu aquæ è jugi puteo præsensisse ac prædixisse fertur Pythagoræ Præceptor teste *Diog. Laert. Helmont.* qq, meminit: n. 31. Ex aqua puteana Castri Lovaniensis sulphur foetante certo præfagio prænucciasse quendam tremorem propediem futurum. 2. Si aquæ intumescunt, quod Posidonius in mari mediterraneo observavit referente *Strab. L. VI.* 3. Si aër serenior & intempeſtiva ſentiatur. 4. Si media æſtate inſolitum frigus oriatur. Tribus prioribus adhuc duo apponit *Frommond. l. c. Art. VI.* & quidem ex *Ariſtotele*, nimirum: si linea nubis in longum & directum porrecta videatur, quæ qu. magis tranquillitatem aëris, quam terræ motum denotat. Item: Si mugitus ſubterraneus audiatur, *Sicut enim*, inquit *Frommond. vix unquam fulmen ſine tumultuante ante tonitru emicat: Ita rariffime terræ motus, qui mugiat.* Quod & per multa ſecula compertum eſſe probat Ariſtotelis & aliorum Authorum testimoniis. Adde *Conimbr.* c. l. Cap. V. Mugitum tamen ſubterraneum omnibus præferendum cenſet *Ariſt. l. c.* qui interdum præcedat interdum ſequatur interdum & audiatur absque motu. Cum quo conſentit *Frommond. l. c.*

§. 28. Vere autem & autumnô ut plurimum fieri terræ motus dicit *Ariſt. l. c.* hæc enim tempora maxime ſunt ſpirituosa. Aſtas quidem propter nimium calorem, & hyems propter gelu facit immobilitatem. Noctu itidem plures & majores fiunt motus ob tranquillitatem aëris & abſentiam Solis. Omnia tamen anni tempora terræ motui opportuna eſſe experientia docet. Sic Pompejos celebrem Campaniæ urbem ipſis hybernis diebus deſediſſe teſtatur Seneca ſtatim ab initio cit. libri. Item Anno ſuperioris Sec. 86. die 9. Julii in Regno Peruano terræ motum eſſe factum fatetur *Frommond. l. c. Art. V.* Multa quoque & infinita ferè exempla dari ſcribit, quibus terram vere & autumnô ſæpiſſimè motam eſſe probari poſſit.

§. 29. Tandem etiam ſuos effectus terræ motus edere, per multa jam ſecula obſervatum eſt, variique ab Authoribus recensentur, quorum præcipui ſunt: 1. Si ædificia concuſſa corruant. 2. Si ſitus locorum, aut dextra cum ſiniſtris commutantur. 3. Si tecta arietare videntur. 4. Si terra ſubſidit, montesque ac civitates hiatu abſorbentur,

tur. 5. Si hiatus relinquatur, & ædificia inclinant. 6. Si colles, montes & novæ insulæ adsurgunt. 7. Si fluminum aquæ absorbentur. Contra 8. Si fontes & fluvii novi erumpunt, item, si alii alveum mutant. Tandem (qui pessimus est) si pestilentia exoritur. Hanc enim omnium ferè terræ motuum sobolem esse exemplis satis probari potest. *Nec mirum est*, inquit, Sen. l. c. *multa enim mortifera in alto latent*. Singulorum effectuum rationes & exempla vid. apud *Frommond*. Art. VII. *Senec. Conimbr. Aristot. Plin. ll. cc. it. Honor. Fabri l. c. prop. 24.* Quibus addi potest ex Observationibus *Francisci Travigini* gyri terræ diurni judicium, dum in terræ motu Ragufiano præter lateralem terræ vibrationem etiam motum ab occidente ad orientem observasse sibi visus fuit. Videatur *Physica* ejus hæc de re *Disquisitio*, quæ Venetiis prodiit 1673.

SECTIO III.

§. I.

Nunc videamus, an ista, quæ de terræ motu in communi diximus, ad hunc præsentem etiam quadrent, nec ne? Ubi ante omnia in naturam soli Judaici, num etiam ejusmodi spiritus quassatores intra sua viscera alat, inquirendum est. Equidem negare non possumus, Palæstinam totam maris alveo esse conjunctam, unde aquæ fluentes interioribus istius soli facile se insinuare possent. Præterea notum est, totam terram sanctam (& sic quoque Judæam) esse montosam, unde non mirum esset, si intra montium gibbos halitus alat, validissimosque terræ motus subeat. An vero & solum Hierosolymitanum ita se habuerit, non satis certò dici potest, cum in medullio Palæstinæ, atque ita satis procul à mari, sita fuerit. Interim cum de natura soli istius nobis non satis constet, atque an intra se fornices & spiritus quassatores contineat, non certè dici possit, (quod & de aliis regionibus oppidò fatemur, nemo enim quantitatem fornicum subterraneorum, neque qualitatem halituum determinare potest) etiam de eodem argumentari illicitum erit.

§. 2. Vehementissimum autem, imò toti Orbi communem fuisse istum terræ motum faciliùs asseri potest. Non enim absque

ratione Amanuensis Sacer usus est vocabulo generali η $\gamma\eta$. Quod vocabulum cum alio nomine constructum, aut pronomini demonstrativo positum significat certam terræ plagam, aut regionem, imò & urbem. Vid. *Matth* 2. vers. 6. & 21. *Joh*. 3. 21. &c. Econtrario gloriosissimus Salvator *Matth*. 24, 30. & 35. de interitu hujus universi Judæis prædicans, eadem voce generali utitur, ad indicandum, non soli terræ Judaicæ, sed omnibus omninò terræ regionibus illam ruinam æqualiter superventuram esse. Et quemadmodum tenebræ, quæ paulò ante ingruerant, totum occupavere orbem, ita forsan à vero alienum non erit, si quis dixerit, hunc terræ motum fuisse universalem. Si itaque hic terræ motus universalis fuit, facilè colligi poterit, istum nullæ causæ naturali, sed agenti cuidam supernaturali, natales debuisse. Et quamvis Philosophi ob variorum locorum varios situs, qualitates, tempora &c. certam ac definitam quantitatem terræ motibus non adsignent, in eo tamen omnes consentiunt, uno eodemque motu totum terræ orbem simul quassari non posse. Uti supra Sect. II. §. 27. ostendimus.

§. 3. Accedit quoque & hoc, quod exiguo admodum tempore duraverit. Refert enim *S. Matth. c. 28. v. 2.* biduo nondum præterlapso alium terræ motum, & quidem magnum, istum subsequutum fuisse. Ast vero uno ore docent Philosophi, quod unicus terræ motus, & in solo duro ac petroso (quale Judaicum erat) ortus, brevi non desinat; aut, quamvis desinat, per intervalla tamen redeat. Ita enim scribit *Aristot. l. c.* Cum autem validus extiterit terræ motus, nec illicò, nec funditus quaterre terram desinit, quinimò non ante 40. dies sistitur. Plerumque & tardius, utpote cum quidam annuo & biennii spatio circa eadem loca vigeat duretque. Hinc per se liquet, terram tam brevì tempore commotam ad pristinum statum redire non potuisse, ut novæ statim camerae præparari, atque in iisdem halitus denuò colligi potuerint. Taceo, quod ne ullus quidem Scriptor de talismodi exemplo mentionem faciat.

§. 4. Signa quoque aut præfagia istum præcessisse neque textus Sacer neque alius Scriptor perhibet. Si itaque (sicut supra Sect. II. §. 29. diximus) terræ motus semper quædam indicia anteire solent, quæ tam intra terram, (ut, quando aqua puteana sapore Δ eo tingitur)

tur) quam extra terram, ut aëris serenitas & intempestivitas, observantur, itidem ex naturalium numero hunc merito excludimus.

§. 5. Confirmamur in nostra sententia, si hujus terræ motus effectus, quos Evangelista Mattheus recenset, consideramus. Sunt vero illi: scissio Petrarum, & apertio sepulchrorum. Non negamus causam huic scissuræ petrarum dedisse, cum vero non omnis terræ motus durissimas Petras discindat, ac diffilire faciat, merito pro peculiari miraculo id habetur. Qui Hierosolimis fuerunt, & ipsi coram petras hanc intuiti sunt, testantur, scissionem illam adhuc hodiè oculis obviam esse, adeoque terribilem, ut horrorem intuentibus incutiat. *Hieronymus* dicit in Evangelio Nazaræorum legi: quod superliminare templi infinitæ magnitudinis in hac scissione petrarum fuerit fractum & divisum. Alii scribunt, rupem montis Calvariæ, in qua fixæ fuerunt tres cruces, eo modo scissam esse, ut inter Christi & impii latronis crucem divisio interjecta sit, latronem à Domino divisum esse significans, referente *B. Gerardo in Harm. Evang. Cap. CCIII. p. m. 2040.* Par ratio dari potest de sepulchrorum apertione. Denique si fines hujus terræ motus, quos Venerandi Theologi commemorarunt, attendimus profecto non *Φυσικόν* sed *Θεολογ.* observabimus. Docent enim, Deum præternaturali hac terræ concussione I. iram suam testari voluisse. II. Fuisse argumentum innocentiae & Majestatis Christi. III. Indicium pugnae inter Christum & Satanam, & IV. Propagationis Evangelii per universum terrarum orbem. V. Spiritualis liberationis filiorum Dei ex Ægypto Infernali per Christi mortem factæ. Conf. *B. Gerhard. l. c.* Non abludit ab his *Jerem. Drexelius Tom. III. de Christo moriente part. II. c. II. p. 386.* dum dicit: 1. patrato scelere tam abominando dignos fuisse homines vel terra dehiscente absorberi, vel ædificiorum muris sepeliri. 2. Adventum Numinis imò præsentiam his terræ tremoribus fuisse significatam. 3. Novam legem fuisse latam, quam acceptura terra tremuit. Primum graphicè quoque urget *Chrysostomus* nostri Hom. 89. in Matth. c. 27. *Lapides scinduntur, & terra concutitur, ut hinc percipi posset, illos quoque facile dirumpere potuisse. Nam qui lapides scidit, qui terrarum orbem tenebris obduxit, multo magis illos si voluisset, perdere potuisset: verum noluit, sed vires suas in elementis ostendens, illos ex clementia salvare volebat:*

Sed non fuerant illi remissores. Ex quibus omnibus patet, quod ostendendum erat, causam potius supernaturalem, quam naturalem, agnoscere hunc tempore Passionis Christi exortum vehementissimum terræ motum.

SOLI DEO GLORIA.

L' Ape ingegnosa in un prato di fiori,
Che da ciajcun il' suo frutto raccoglie,
Soave, e grato ancor à gran Signori:
Atto à ristorar l' huom tra le sue doglie,
Ci rapresenta al vivo i vostri ardori,
Nel sostener il mele in queste foglie,
Colto da belle scienze naturali,
Che i vostri nomi faran immortali.

Così si rallegra col Signor eruditissimo Rispondente, e col eccellentissimo Sign. Preside u loro Amico, e Servitore affectionatissimo

CARLO CAFFA, D. P. P.

Ceu radiat fulgore novo Vulcanius ignis,
Turgida cum quassans Æolus arva movet.
Sic sapiens clarè prodit sua munera docta.

WEISSIUS id præstat, monstrat & hoc specimen.

Hicce Cl. DN. Auctori Respondenti, Auditori suo sedulo amicitiam testari voluit

JO. ANDR. Schmidt / Ph. M.

Log. & Metaph. P. P.

Con=

Sonnet.

Der ist schon klug genug und kan sich Weiße
nennen /
Der durch der Erden Klufft die klugen Geister
zwingt
Wenn sein gelehrter Sinn durch harte Gruffte
dringt /
Und misset Knall und Fall / die harte Felsen tren-
nen.
Fürwar die sind geschickt / die solche Macht recht
kennen /
So Städt und Länder stürzt / und Erden-Fälle
bringt /
Daß oft ein Eisenberg in tausend Stücke
springt /
Da Steine Wald und Feld / in lichten Flammen
brennen.
Diß weiß Herr Weiße wohl / diß legt er an
das Licht /
Durch diese weiße Schrift / der keine Kunst ge-
bricht.
Wolan mein werther Freund / ich wünsch Ihm
höchlich Glücke
Zu seines Namens Ruhm / den Er im Werck
erfüllt.

Der

Der Höchste sey mit Ihm/er schicke Segens Blicke!
Von oben auf Ihn zu/ der sein Verlangen stillt.

Seinem Brüderlich geliebten Freunde setzte dieses
Glückwünschend zu schuldigen Ehrens
Dienste

M. George Klop/

Gladizâ Misnic.

Es sprizet Aetna wohl viel Funcken in die Ferne/
Vesuvius bestrahlt mit seinem Feuer
Die plancken Sterne;
So daß man meynt die Erde / wolte fallen
Wem Schwefel- Dampff hindurch die Luft
Gleich einen Donner rufft /
Daß hie viel weh und dort auch Jammer will erschallen/
Wenns an das Leben geht.
Gewiß es ist Betrug/ die Unlust muß verschwinden/
Wenn Stadt und Land zu grunde gehn/
So ist's ein Erden-Fall / alsdenn so dreht
Die Gluth mit starcken Winden
Und splittert Felsen-harte Klippen
Wenn Pech-vermengte Tropffen trippen/
Es müsse Wunder seyn / wenn solches Ungeheuer
Nicht solte Herz und Muth erzittern/
Wenn Blitz und Donner-Knall also entstehn.
Wie dieses pflege zuzugehn/ weist hier Herr W E J S S E
Zu eignen Ruhm und zu beliebten Preisse/
Wie die gelehrte Welt zukünfftig lehren soll/
Des Höchsten Ehre grüne / in seinem steten Fleisse!

So setzte zu Ehren und zu Versicherung auff-
richtiger Freundschaft dem Autori und Resp.
dieser Disp. Glückwünschend hinzu:

Joh. George Reinmann/ LL. Stud.



90 A 6406

ULB Halle 3
002 916 622




56

Retro V

VDMA







FORTUNANTE TRINUNO!
TERRÆ MOTUM
TEMPORE PASSIONIS
CHRISTI

18

OBSERVATUM,
In Illustri Salanā
PRÆSIDE
DN. JO. ANDREA Schmidt/
Logices & Metaphysices P.P. Ordinario,
considerabit
AUTOR-REPENDENS
CHRISTOPHORUS Weise
Weissenfelsensis.

Ad d. 10. Novembr. 1683.

JENÆ,
Literis Bauhoferianis.

